



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

92. An Inquisitores non solum in propositiones hæreticas, sed etiam in aliis inferioris notæ animadvertant? Et doctrina huius Resolutionis est valdè notanda, & menti tenenda. Et advertitur Episcopos ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XC.

An Inquisitores possint animadvertere in frangentes cedulones, in quibus declarantur excommunicati, & de aliis casibus ad S. Officium pertinentibus, qui sunt valde notandi? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 103.

Respondeo quod Cedulones excommunicationum, in quibus declarantur aliqui excommunicati deturpantes, sunt suspecti de hæresi, & ita in facto fuit decisum Romæ in casu contingenti in Curia Archiepiscopali Salernitana, & contra tales possunt procedere Inquisitores, ut observat inter alios Homobonus in *consult. moral. part. 4. resp. 16. vol. 1.* Item facientes Brevia cum characteribus, seu literis ignotis, vel dicentes, seu recitantes quasdam orationes pro sanandis infirmis, fabricantes imagines ceteas, & puncturis eas cruciando ad amorem, vel infirmitates inducendo, vel malicia faciendo, qui capillos, ferramenta, clavos, lapides, &c. quæ postea evomentur ab ore maliciaforum, item aspicientes speculum, aut phialam cum candela & aqua benedicta, & dicentes aliqua verba pro inveniendis furtis, vel ad scienda secreta, hi omnes subduntur iudicio DD. Inquisitorum. Sicuti etiam spretores campanarum, ut quidam olim fuit, qui nocte Sabbathi sancti abstulit malleolum à quibudam campanis, illum apponendo in arbore nudis, despectio enim & contemptus campanarum est unus de erroribus Turcarum, & hæc omnia docet Episcopus Viciacensis, Aloysius Riccius in *praxi tom. 1. ref. 423.* & alij penes ipsum.

RESOL. XCI.

An Inquisitores possint animadvertere in Concionatorem predicantem animas non detineri in Purgatorio ultra decem, aut viginti annos? Sed difficultas est, an opinio Soti, & aliorum circa hoc sit erronea, vel digna aliqua censura? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 101.

Animas ultra dictum tempus non detineri in Purgatorio, docet Sotus in 4. dist. 19. quest. 3. art. 2. Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. p. 2. de Sacramento. l. an. quest. de Indulgent. dub. 2. concl. 3.* Contrad. in *respons. cas. conscient. tom. 1. q. 118.* & Martin. Vivald. in *candelabro aureo, iussu Superiorum emendato, ubi in tit. 10. de purgat. n. 16.* sic asserit: Verum est quod, ut Sotus piissimus & Catholicus author ait, vix animam ullam esse viginti, imò nec decem annis in gravissima poena Purgatorii, quod etiam credo, etiam si nulla esset indulgentia, propter immensam Dei misericordiam, & propter tormentorum acerbiteriam. Ita Vivaldus.

2. Sed prorsus contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tueretur Bellarm. de *purgat. lib. 2. c. 9.* Loric. in *Theol. ver. Purgatorium, n. 8.* Coninch. de *Sacram. disp. 11. dub. 4. n. 38.* Molestel. in *sum. tom. 1. tr. 1. cap. 26. n. 112.* & alij. Sed difficultas est, an opinio Soti & aliorum sit erronea, vel digna aliqua censura? Suar. in 3. p. tom. 4. disp. 46. sect. 4. n. 6. negat, & asserit esse tantum incertam, & voluntariam. Verum Naldus in *sum. ver. anima, n. 2.* vocat illam periculosa[m] erroneam, & Inquisitores in Hispania coegerunt quemdam Concionatorem hanc sententiam docentem se retractare, ut patet apud Henric. lib. 7. c. 16. n. 4. ubi sic ait: Quidam prædicant nullam animam detineri in Purgatorio ultra decem, aut viginti annos, cum poenæ sint multo graviores, quam huius vitæ, & semper intensæ circa animam iustam: at hi non sine temeritate quadam ex levibus rationibus loquuntur contra morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis & pro certa anima celebrat Anniversary Missas, & Officia ultra 20. annos, nec rigor Dei est iniustus, si ab anima, quæ propriè non satisfacit, sed satis paritur, exigat longas poenæ, ut pro uno mortali exigat æternas. Quare illam sententiam quidam insignis Prædicator Minorita à S. Inquisitionis Senatu compulsi sunt retractare, eo quod retractat fideles ab operibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro suis defunctis. Ita Henriquez, qui in glossa *lit. I.* ex Surio notat, quod quidam Innocentius Papa est in Purgatorio detinendus usque ad diem iudicii.

RESOL. XCII.

An Inquisitores non solum in propositiones hereticas, sed etiam in aliis inferioris note animadvertant? Et doctrina huius Resolutionis est valde notanda, & menti tenenda.

Et advertitur Episcopus ex Concilio contra pronuntiantes propositiones erroneas, temerarias, &c. procedere debere. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 94.

Respondeo affirmativè, & ideo Petrus Lorca in 2. 2. D. Th. 9. 1. 1. art. 2. disp. 40. n. 1. sic ait: In praxi & usu Patrum S. Inquisitionis receptum est, non solum propositiones hereticas, sed etiam alias inferioris notæ cohibere, & in eos qui proferunt animadvertere pro qualitate & quantitate notæ. Habemus autem huius consuetudinis initium ex Concilio Constant. sess. 8. (quamvis dubitari non possit antiquiorem esse) in qua damnantur errores Viclephi sub hac forma verborum:

2. Præfatos articulos sancta Synodus examinari fecit, & lapsus refarciri, quibus examinatis fuit repertum, aliquos & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hereticos, & à sanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, sed erroneos, & scandalosos, alios & blasphemos, alios piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, & seditiosos. Eodem tenore sententiæ postea usi sunt Pius V. Greg. XIII. damnantes assertiones Michaelis Baij. Hæc Lorca. Igitur in multis propositionibus DD. Inquisitores animadvertunt, ut in hereticis, erroneis, hæresim sapientibus, male sonantibus, & piarum aurium offensivis, temerariis, scandalosis, &c. de quibus authores non uno modo loquuntur, quinimò valde dissentiunt, unde in gratiam DD. Inquisitorum, & Qualificatorum S. Officii colligam hæc Doctores, qui de dictis propositionibus scripserunt, inter quos præcipue sunt isti, Augustinus Bariola, Consultor S. Officii, post flores commentariorum Pegnæ fol. 220. Zanardus in *direct. Theol. par. 1. præc. 1. cap. 3. §. 26.* Canus lib. 12. de locis, cap. 11. Albertin. de *agnesc. q. 61.* Simanca in *cañol. instit. tit. 54.* Corduba in *quest. lib. 1. q. 17.* Aragon. & Bañez in 2. 2. q. 11. art. 2. Peyrinus in *privat. Minim. tom. 2. confit. 9.* Paul. V. §. 2. n. 19. Antopius Ricciullus tract. de *iure personarum, & c. lib. 5. cap. 8.* Paramus de orig. S. Inquisit. lib. 3. q. 3. n. 105. & seq. Suarez tract. de *fide disp. 19. sect. 2. n. 6.* & seq. Caltrus lib. 1. de *iust. l. 1. ret. punit. cap. 3.* Turrianus tom. 1. in 2. 2. disp. 55. dub. 3. Coninch de *actib. supernaturalib. disp. 18. dub. 8. n. 136.* & seq. Malderus in 2. 2. q. 11. art. 2. membr. 5. Tannerus tom. 3. disp. 1. q. 8. dub. 5. n. 97. Valentia to. 3. disp. 1. q. 1. pun. 1. Molestel. in *sum. tom. 1. tr. 11. c. 2. m. 55.* & seq. Turrecrem. lib. 4. p. 2. cap. 11. Caltrus Pal. in *op. mor. to. 1. tr. 4. disp. 1. punit. 1. n. 3.* & seq. & alij penes ipsos.

3. Non desinam tamen hic apponere verba Io. de la Cruz in *direct. conscient. par. 1. præc. 1. art. 1. concl. 3.* ubi sic ait: Inter propositiones contra fidem, ut patet ex Concil. Constant. sess. 8. alia est heretica, utpote quæ clarè constat contrariari fidei, ut ista, Christus non est

P P 3 Deas

Deus. Alia est erronea, quæ est contraria veritati fidei, sed non ita clarè ex defectu evidentis testimoniij quo illud probetur, & in hoc sunt gradus. In primo gradu sunt propositiones contrariæ conclusioni Theologicæ illatæ per evidentem consequentiã ex fidei principiis, ut ista: Christus non est risibilis: imò istæ sunt proximæ hæreses. In secundo gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ Catholice universaliter edoctæ in Ecclesia, ut istæ: Monachi suo labore tenentur victum comparare, orationes applicatæ per Prælatos, & Religiosos pro aliquo specialiter, non plus illi profunt, quàm si in communi pro eo offerrentur. In tertio gradu sunt propositiones contrariæ doctrinæ, de qua sapientes vehementer censent quòd sit veritas fidei. In quarto gradu sunt propositiones, quæ juxta sententiam probabilem, & quasi necessariam judicantur contrariari alicui veritati fidei, ut ista: Pueris in baptismo non datur gratia, quæ videtur contrariari isti veritati de fide, pueri mundantur in Baptismo à peccato originali. Alia est propositio sapiens hæresim, quæ licet possit habere bonum sensum, tamen ex circumstantiis temporum & personarum habet saporem hæresis: ut ista propositio, Fides justificat, in D. Paulo, est catholica, & prolata à Lutheranis, tenente solam fidem sine charitate justificare, sapit hæresim. Alia est propositio malè sonans, & parum aurium offensiva, de quo non datur certa regula, sed arbitrio sapientum relinquitur: ut istæ: Imperatores errantur dotando Ecclesias bonis suis: Magisteria sunt vana gentilitate introducta. Alia est propositio temeraria, ut pote asserens aliquid contra communem Ecclesiæ opinionem sine magna auctoritate: ut quòd Beatissima Virgo non sit in Cætum cum corpore assumpta. Alia est propositio scandalosa, quæ licet possit habere bonum sensum, tamen generat scandalum in audientibus. Hæc ille.

4. Verùm pro coronide hujus resolutionis adverte cum Michaële Zano in *director. Theolog. tom. 2. præf. 1. cap. 6. quæst. 44.* quòd quamvis Concil. Trident. sæpe dicat Episcopos contra pronunciantes supradictas propositiones, videlicet erroneas, temerarias, &c. procedere debere, per hoc non admittit delegatam potestatem inquirendi contra ipsos ab Inquisitoribus, quia Delegatus est major Ordinarius, & Concilium respexit duo. Primò quòd ubique sunt Episcopi, in multis autem civitatibus non sunt Inquisitores, & ideo voluit hoc Episcopis proponere, ut ipsi fiant, quòd ubi non sunt Inquisitores, ad eos pertinet contra tales procedere. Secundò, quia Episcopi ut Ordinarii contra tales inquirent, & Inquisitores ut delegati, & causæ fidei ab utroque communiter definiuntur, & ideo cum tales causæ faciant ad fidem, quoniam ex inordinatis propositionibus incurritur hæresis, ideo loquendo de Episcopo intelligitur quoque esse loquutum de Inquisitore. Hæc Zanardus, quæ sunt valde notanda pro casu simili.

RÉSOL. XCIII.

Quando Inquisitores debeant facere abjurare reos publicè, vel secreto?

Et pro praxi hujus questionis adducuntur diversi casus in textu hujus Resolutionis.

Et tandem explanatur, quòd Hæreticus mentalis non indiget Inquisitorum absolutione. Ex part. 4. tract. 8. Resol. 81.

Sup. hoc inf. §. 1. **I**rcæ præsens dubium in Instructione Hispaniensi anno 1484. num. 5. sic habetur. [Item 33. §. Nota determinaron que los dichos Inquisidores a las personas, que vinieren confesando sus errores segun dicho es, y devieren ser reconciliados a la union de la sancta

Madre Yglesia, les hagan abjurar sus errores publicamente quando los huvieren de reconciliar, y les deven injungir penitencias publicas segun su alvedrio y preger ulando con ellos de misericordia y benignidad, quando con buena conciencia se podrá hazer, y no deven recibir a ninguno à abjuracion y pena secreta salvo si el pecado fuere tan oculto que no lo supo otra alguna persona; ni lo pudo saber salvo aquel que lo confessa, porque en tal caso podrá qualquier de los Inquisidores reconciliar y absolver secretamente a la tal persona, cuyo error y delicto fue, y es oculto, y no es revelado, ni por otra persona se les podria revelar porque assi es de derecho.]

2. Verùm ad ornatum & intelligentiam supradictorum verborum ibi, [Les hagan abjurar sus errores publicamente,] nota quòd ex text. in cap. ad abolendam. §. præterea, de hæret. abjuratio debet fieri publicè, & ita etiam tenet Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 9. num. 1. Sanctarellus de hæresi cap. 41. dub. 1. n. 4. Simanca in cathol. instit. tit. 47. num. 8. & 74. & in enchirid. tit. 3. num. 12. Squillacensis trad. de fide Catholice. cap. 29. num. 2. Eymericus in director. part. 3. rubric. de quarto modo terminandi, &c. num. 128. 167. & 177. ponens formam abjuracionis publicæ, quando abjurans est suspectus de levi, de vehementi, & violentè, & ibi Pegna comment. 42. ubi reddit rationem quare abjuraciones hujusmodi publicè efficiuntur. Vide etiam Decianum in tract. crim. lib. 5. cap. 27. n. 5. ubi declarat quando & quomodo abjuratio dicatur publicè facta. Riminadum lib. 6. consil. 686. num. 150. & sequentem abjuracionem factam secretò non valere, & Rojas singul. 1. num. 16. & 17. cum Delrio in disquis. magic. lib. 5. sect. 12. ver. & hæc abjuratio.

3. Sed licet omnia supradicta sint vera, non est negandum quòd ex causa bene visa Inquisitoribus abjuratio pot. fieri secretò, & ita tenet Zechius in sum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 17. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 47. num. 7. & cap. 38. num. 6. Rolandus à Valle lib. 3. consil. 63. num. 7. & seq. cum aliis, & quòd legitur suspensus de hæresi non debeat publicè abjurare, sed privatim in auctoritate Inquisitorum, tenet Simanca in cathol. instit. tit. 1. num. 24. Rojas singul. 1. n. 16. & Pegna in director. part. 3. comment. 40. Sacca de judicio lib. 1. cap. 39. num. 10. Sanctarellus de hæresi cap. 41. dub. 2. n. 4. Verùm hoc in aliquibus criminibus non observatur, & sic contrahentes binas nuptias sunt leviter suspecti de hæresi, & ideo in nostro Tribunali abjurant de levi, attamen dicta abjuratio efficitur publicè.

4. Item ad dilucidationem illorum verborum supradictæ Instructionis ibi, [Salvo si el pecado fuere tan oculto, &c.] Vide Simancam in cathol. instit. tit. 1. num. 24. qui absolurè docet, quòd publicè non debent abjurare qui occultas hæreses spontè confessi sunt. Vide etiam Barbosam & Sanctarellum ubi supra. Non de finem tamen hic adnotare quòd Ioan. Rojas de hæresi. part. 2. num. 274. verba supradictæ Instructionis intelligit de hæresi omnino sua natura occulta, quæ nullo modo naturaliter sciri potuit, nisi per illam confessionem spontaneam, quod aliter est, quando hæresis esset occulta per accidens, quando non solum corde, sed ser occulta per accidens, quando non solum corde, sed voce & corde exterius procedit, videlicet propter defectum probationis ignoratur. Ita Rojas, cujus sententia mihi non placet, nam præsupponit hæreticum mentalem indigere abjuracione & reconciliatione, quod est falsum, nam hæreticus mentalis non indiget Inquisitorum absolutione, ut ex multis probat Simanca in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 8. num. 3. Bonacina in Bulla Cane tom. 3. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 2. & 3. & in ceteris alijs penes ipsos.

RESOL.